

# SVETONI TRANQVILII VITA GAI

## I. LIFE OF GERMANICUS

1 [1] Germanicus, C. Caesaris pater, Drusi et minoris Antoniae filius, a Tiberio  
2 patruo adoptatus, quaesturam quinquennio ante quam per leges liceret et  
3 post eam consulatum statim gessit, missusque ad exercitum in Germaniam,  
4 excessu Augusti nuntiato, legiones universas imperatorem Tiberium  
5 pertinacissime recusantis et sibi summam rei p. deferentis incertum pietate an  
6 constantia maiore compescuit atque hoste mox devicto triumphavit.

7 2 Consul deinde iterum creatus ac prius quam honorem iniret ad  
8 componendum Orientis statum expulsus, cum Armeniae regem devicisset,  
9 Cappadociam in provinciae formam redigisset, annum agens aetatis quartum  
10 et tricensimum diuturno morbo Antiochiae obiit, non sine veneni suspicione.  
11 Nam praeter livores, qui toto corpore erant, et spumas, quae per os fluebant,  
12 cremati quoque cor inter ossa incorruptum repertum est, cuius ea natura  
13 existimatur, ut tinctum veneno igne confici nequeat.

14 [2] Obiit autem, ut opinio fuit, fraude Tiberi, ministerio et opera Cn. Pisonis,  
15 qui sub idem tempus Syriae praepositus, nec dissimulans offendendum sibi  
16 aut patrem aut filium, quasi plane ita necesse esset, etiam aegrum  
17 Germanicum gravissimis verborum ac rerum acerbitatibus nullo adhibito  
18 modo adfecit; propter quae, ut Romam rediit, paene disceptus a populo, a  
19 senatu capitis damnatus est.

20 [3] Omnes Germanico corporis animique virtutes, et quantas nemini cuiquam,  
21 contigisse satis constat: formam et fortitudinem egregiam, ingenium in  
22 utroque eloquentiae doctrinaeque genere praecellens, benivolentiam  
23 singularem conciliandaeque hominum gratiae ac promerendi amoris mirum  
24 et efficax studium. Formae minus congruebat gracilis crurum, sed ea  
25 quoque paulatim repleta assidua equi vectatione post cibum. 2 Hostem  
26 comminus saepe percussit. Oravit causas etiam triumphalis; atque inter cetera

27 studiorum monumenta reliquit et comoedias Graecas. Domi forisque civilis,  
28 libera ac foederata oppida sine lictoribus adibat. Sicubi clarorum virorum  
29 sepulcra cognosceret, inferias Manibus dabat. Caesorum clade Variana  
30 veteres ac dispersas reliquias uno tumulo humaturus, colligere sua manu et  
31 comportare primus adgressus est.

32 3 Obtrectatoribus etiam, qualescumque et quantacumque de causa nanctus  
33 esset, lenis adeo et innoxius, ut Pisoni decreta sua rescidenti, clientelas  
34 divexanti non prius suscensere in animum induxerit, quam beneficiis quoque  
35 et devotionibus impugnari se comperisset; ac ne tunc quidem ultra  
36 progressus, quam ut amicitiam ei more maiorum renuntiaret mandaretque  
37 domesticis ultiōnem, si quid sibi accideret.

38 [4] Quarum virtutum fructum uberrimum tulit, sic probatus et dilectus a suis,  
39 ut Augustus — omitto enim necessitudines reliquas — diu cunctatus an sibi  
40 successorem destinaret, adoptandum Tiberio dederit; sic vulgo favorabilis, ut  
41 plurimi tradant, quotiens aliquo adveniret vel sicunde discederet, prae turba  
42 occurrentium prosequentiumve nonnumquam eum discrimin vitae adisse, e  
43 Germania vero post compressam seditionem revertenti praetorianas cohortes  
44 universas prodisse obviam, quamvis pronuntiatum esset, ut duae tantum  
45 modo exirent, populi autem Romani sexum, aetatem, ordinem omnem usque  
46 ad vicesimum lapidem effudisse se.

47 [5] Tamen longe maiora et firmiora de eo iudicia in morte ac post mortem  
48 exstiterunt. Quo defunctus est die, lapidata sunt templa, subversae deum  
49 aerae, Lares a quibusdam familiares in publicum abiecti, partus coniugum  
50 expositi. Quin et barbaros ferunt, quibus intestinum quibusque adversus nos  
51 bellum esset, velut in domestico communique maerore consensisse ad  
52 indutias; regulos quosdam barbam posuisse et uxorum capita rasisse ad  
53 indicium maximi luctus; regum etiam regem et exercitatione venandi et  
54 convictu megistanum abstinuisse, quod apud Parthos iusti[ti] instar est.

55 [6] Romae quidem, cum ad primam famam valitudinis attonita et maesta  
56 civitas sequentis nuntios opperiretur, et repente iam vesperi incertis  
57 auctoribus convaluisse tandem percrebruisset, passim cum luminibus et  
58 victimis in Capitolium concussum est ac paene revolsae templi fores, ne quid  
59 gestientis vota reddere moraretur, expergefactus e somno Tiberius  
60 gratulantum vocibus atque undique concinentium:

61                   Salva Roma, salva patria, salvus est Germanicus.

62       2 Et ut demum fato functum palam factum est, non solaciis ullis, non edictis  
63       inhiberi luctus publicus potuit duravitque etiam per festos Decembris mensis  
64       dies. Auxit gloriam desideriumque defuncti et atrocitas insequentium  
65       temporum, cunctis nec temere opinantibus reverentia eius ac metu repressam  
66       Tiberi saevitiam, quae mox eruperit.

67 [7] Habuit in matrimonio Agrippinam, M. Agrippae et Iuliae filiam, et ex ea  
68       novem liberos tulit: quorum duo infantes adhuc rapti, unus iam puerascens  
69       insigni festivitate, cuius effigiem habitu Cupidinis in aede Capitolinae Veneris  
70       Livia dedicavit, Augustus in cubiculo suo positam, quotiensque introiret,  
71       exosculabatur; ceteri superstites patri fuerunt, tres sexus feminini, Agrippina,  
72       Drusilla, Livilla, continuo triennio natae; totidem mares, Nero et Drusus et C.  
73       Caesar. Neronem et Drusum senatus Tiberio criminante hostes iudicavit.

## II. BIRTH OF CALIGULA AND EARLY LIFE

74 [8] C. Caesar natus est pridie Kal. Sept. patre suo et C. Fonteio Capitone coss.  
75       Ubi natus sit, incertum diversitas tradentium facit. Cn. Lentulus Gaetulicus  
76       Tiburi genitum scribit, Plinius Secundus in Treveris vico Ambitarvio supra  
77       Confluentes; addit etiam pro argumento aras ibi ostendi inscriptas OB  
78       AGRIPPINAE PVERPERIVM. Versiculi imperante mox eo divulgati apud hibernas  
79       legiones procreaturn indicant:

80                   In castris natus, patriis nutritus in armis,  
81                   Iam designati principis omen erat.

82    2 Ego in actis Anti editum invenio. Gaetulum refellit Plinius quasi mentitum  
83    per adulationem, ut ad laudes iuvenis gloriosique principis aliquid etiam ex  
84    urbe Herculi sacra sumeret, abusumque audentius mendacio, quod ante  
85    annum fere natus Germanico filius Tiburi fuerat, appellatus et ipse C. Caesar,  
86    de cuius amabili pueritia immaturoque obitu supra diximus. 3 Plinium arguit  
87    ratio temporum. Nam qui res Augusti memoriae mandarunt, Germanicum  
88    exacto consulatu in Galliam missum consentiunt iam nato Gaio. Nec Plini  
89    opinionem inscriptio aiae quicquam adiuverit, cum Agrippina bis in ea  
90    regione filias enixa sit, et qualiscumque partus sine ullo sexus discrimine  
91    puerperium vocetur, quod antiqui etiam puellas pueras, sicut et pueros  
92    puellos dictitarent. 4 Exstat et Augusti epistula, ante paucos quam obiret  
93    menses ad Agrippinam neptem ita scripta de Gaio hoc — neque enim  
94    quisquam iam aliis infans nomine pari tunc supererat —: "puerum Gaium  
95    XV. Kal. Iun. si dii volent, ut ducerent Talarium et Asillius, heri cum iis  
96    constitui. Mitto praeterea cum eo ex servis meis medicum, quem scripsi  
97    Germanico si vellet ut retineret. Valebis, mea Agrippina, et dabis operam ut  
98    valens pervenias ad Germanicum tuum." 5 Abunde parere arbitror non  
99    potuisse ibi nasci Gaium, quo prope bimulus demum perductus ab urbe sit.  
100   Versiculorum quoque fidem eadem haec elevant et eo facilius, quod ii sine  
101   auctore sunt. Sequenda est igitur, quae sola [auctor] restat et publici  
102   instrumenti auctoritas, praesertim cum Gaius Antium omnibus semper locis  
103   atque secessibus praelatum non aliter quam natale solum dilexerit  
104   tradaturque etiam sedem ac domicilium imperii taedio urbis transferre eo  
105   destinasse.

106   [9] Caligulae cognomen castrensi ioco traxit, quia manipulario habitu inter  
107   milites educabatur. Apud quos quantum praeterea per hanc nutrimentorum  
108   consuetudinem amore et gratia valuerit, maxime cognitum est, cum post  
109   excessum Augusti tumultuantis et in furorem usque praecipites solus haud  
110   dubie ex conspectu suo flexit. Non enim prius destiterunt, quam ablegari eum  
111   ob seditionis periculum et in proximam civitatem demandari

112 animadvertisserent; tunc demum ad paenitentiam versi reproso ac retento  
113 vehiculo invidiam quae sibi fieret deprecati sunt.

114 [10] Comitatus est patrem et Syriaca expeditione. Unde reversus primum in  
115 matris, deinde ea relegata in Liviae Augustae proaviae suaे contubernio  
116 mansit; quam defunctam praetextatus etiam tunc pro rostris laudavit.  
117 Transitque ad Antoniam aviam et undevicensimo aetatis anno accitus  
118 Capreas a Tiberio uno atque eodem die togam sumpsit barbamque posuit,  
119 sine ullo honore qualis contigerat tirocinio fratrum eius. 2 Hic omnibus  
120 insidiis temptatus elicientium cogentiumque se ad querelas nullam umquam  
121 occasionem dedit, perinde obliterato suorum casu ac si nihil cuiquam  
122 accidisset, quae vero ipse pateretur incredibili dissimulatione transmittens  
123 tantique in avum et qui iuxta erant obsequii, ut non immerito sit dictum nec  
124 servum meliorem ullum nec deteriorem dominum fuisse.

125 [11] Naturam tamen saevam atque probrosam ne tunc quidem inhibere  
126 poterat, quin et animadversionibus poenisque ad supplicium datorum  
127 cupidissime interesset et ganeas atque adulteria capillamento celatus et veste  
128 longa noctibus obiret ac scaenicas saltandi canendique artes studiosissime  
129 appeteret, facile id sane Tiberio paciente, si per has mansuefieri posset ferum  
130 eius ingenium. Quod sagacissimus senex ita prorsus perspexerat, ut  
131 aliquotiens praedicaret exitio suo omniumque Gaium vivere et se natricem  
132 populo Romano, Phaethontem orbi terrarum educare.

### III. DEATH OF TIBERIUS AND ASCENSION OF CALIGULA

133 [12] Non ita multo post Iuniam Claudillam M. Silani nobilissimi viri filiam  
134 duxit uxorem. Deinde augur in locum fratri sui Drusi destinatus, prius quam  
135 inauguraretur ad pontificatum traductus est insigni testimonio pietatis atque  
136 indolis, cum deserta desolataque reliquis subsidiis aula, Seiano hoste suspecto  
137 mox et oppresso, ad spem successionis paulatim admoveretur. 2 Quam quo  
138 magis confirmaret, amissa Iunia ex partu Enniam Naeviam, Macronis  
139 uxorem, qui tum praetorianis cohortibus praeerat, sollicitavit ad stuprum,

140 pollicitus et matrimonium suum, si potitus imperio fuisse; deque ea re et iure  
141 iurando et chirographo cavit. Per hanc insinuatus Macroni veneno Tiberium  
142 adgressus est, ut quidam opinantur, spirantique adhuc detrahi anulum et,  
143 quoniam suspicionem retinentis dabat, pulvinum iussit inici atque etiam  
144 fauces manu sua oppressit, liberto, qui ob atrocitatem facinoris exclamaverat,  
145 confestim in crucem acto. 3 Nec abhorret a veritate, cum sint quidam auctores,  
146 ipsum postea etsi non de perfecto, at certe de cogitato quondam parricidio  
147 professum; gloriatum enim assidue in commemoranda sua pietate, ad  
148 ulciscendam necem matris et fratrum introisse se cum pugione cubiculum  
149 Tiberi[i] dormientis et misericordia correptum abiecto ferro recessisse; nec  
150 illum, quamquam sensisset, aut inquirere quicquam aut exsequi ausum.

#### IV. INITIAL POPULARITY

151 [13] Sic imperium adeptus, populum Romanum, vel dicam hominum genus,  
152 voti compotem fecit, exoptatissimus princeps maximaee parti provincialium ac  
153 militum, quod infantem plerique cognoverant, sed et universae plebi urbanae  
154 ob memoriam Germanici patris miserationemque prope afflictae domus.  
155 Itaque ut a Miseno movit quamvis lugentis habitu et funus Tiberi prosequens,  
156 tamen inter altaria et victimas ardentesque taedas densissimo et laetissimo  
157 obviorum agmine incessit, super fausta nomina "sidus" et "pullum" et  
158 "pupum" et "alumnum" appellantium.

159 [14] Ingressoque urbem, statim consensu senatus et irrumpentis in curiam  
160 turbae, irrita Tiberi voluntate, qui testamento alterum nepotem suum  
161 praetextatum adhuc coheredem ei dederat, ius arbitriumque omnium rerum  
162 illi permissum est tanta publica laetitia, ut tribus proximis mensibus ac ne  
163 totis quidem supra centum sexaginta milia victimarum caesa tradantur.

164 2 Cum deinde paucos post dies in proximas Campaniae insulas traieceret,  
165 vota pro reditu suscepta sunt, ne minimam quidem occasionem quoquam  
166 omittente in testificanda sollicitudine et cura de incolumente eius. Ut vero in  
167 adversam valitudinem incidit, pernoctantibus cunctis circa Palatium, non

168 defuerunt qui depugnaturos se armis pro salute aegri quique capita sua titulo  
169 proposito voverent.

170 3 Accessit ad immensum civium amorem notabilis etiam externorum favor.  
171 Namque Artabanus Parthorum rex, odium semper contemptumque Tiberi  
172 p[re]se ferens, amicitiam huius ultro petuit venitque ad colloquium legati  
173 consularis et transgressus Euphraten aquilas et signa Romana Caesarumque  
174 imagines adoravit.

## V. FIRST ACTS

175 [15] Incendebat et ipse studia hominum omni genere popularitatis. Tiberio  
176 cum plurimis lacrimis pro contione laudato funeratoque amplissime,  
177 confestim Pandateriam et Pontias ad transferendos matris fratribus cineres  
178 festinavit, tempestate turbida, quo magis pietas emineret, adiitque  
179 venerabundus ac per semet in urnas condidit; nec minore scaena Ostiam  
180 praefixo in biremis puppe vexillo et inde Romam Tiberi subvectos per  
181 splendidissimum quemque equestris ordinis medio ac frequenti die duobus  
182 ferculis Mausoleo intulit, inferiasque is annua religione publice instituit, et eo  
183 amplius matri circenses carpentumque quo in pompa traduceretur. 2 At in  
184 memoriam patris Septembrem mensem Germanicum appellavit. Post haec  
185 Antoniae aviae, quidquid umquam Livia Augusta honorum cepisset, uno  
186 senatus consulto concessit; patruum Claudium, equitem R. ad id tempus,  
187 collegam sibi in consulatu assumpsit; fratrem Tiberium die virilis togae  
188 adoptavit appellavitque principem iuventutis. 3 De sororibus auctor fuit, ut  
189 omnibus sacramentis adicerentur: "neque me liberosque meos cariores habebo  
190 quam Gaium habeo et sorores eius"; item relationibus consulum: "quod  
191 bonum felixque sit C. Caesari sororibusque eius."

192 4 Pari popularitate damnatos relegatosque restituit; criminum, si quae residua  
193 ex priore tempore manebant, omnium gratiam fecit; commentarios ad matris  
194 fratrumque suorum causas pertinentis, ne cui postmodum delatori aut testi  
maneret ullus metus, convectos in forum, et ante clare obtestatus deos neque

196 legisse neque attigisse quicquam, concremavit; libellum de salute sua oblatum  
197 non recepit, contendens nihil sibi admissum cur cuiquam invitus esset,  
198 negavitque se delatoribus aures habere.

199 [16] Spinrias monstrosarum libidinum aegre ne profundo mergeret exoratus,  
200 urbe submovit. Titi Labieni, Cordi Cremuti, Cassi Severi scripta senatus  
201 consultis abolita requiri et esse in manibus lectitarique permisit, quando  
202 maxime sua interesset ut facta quaeque posteris tradantur. Rationes  
203 imperii ab Augusto proponi solitas sed a Tiberio intermissas publicavit.  
204 2 Magistratibus liberam iuris dictionem et sine sui appellatione concessit.  
205 Equites R. severe curioseque nec sine moderatione recognovit, palam  
206 adempto equo quibus aut probri aliquid aut ignominiae inesset, eorum qui  
207 minore culpa tenerentur nominibus modo in recitatione praeteritis. Ut levior  
208 labor iudicantibus foret, ad quattuor prioris quintam decuriam addidit.  
209 Temptavit et comitiorum more revocato suffragia populo reddere.

210 3 Legata ex testamento Tiberi quamquam abolito, sed et Iuliae Augustae,  
211 quod Tiberius suppresserat, cum fide ac sine calumnia repraesentata  
212 persolvit. Ducentesimam auctionum Italiae remisit; multis incendiorum  
213 damna supplevit; ac si quibus regna restituit, adiecit et fructum omnem  
214 vectigaliorum et redditum medii temporis, ut Antiocho Commageno  
215 sestertium milies confiscatum.

216 4 Quoque magis nullius non boni exempli fautor videretur, mulieri libertinae  
217 octingenta donavit, quod excruiciata gravissimis tormentis de scelere patroni  
218 reticuisset. Quas ob res inter reliquos honores decretus est ei clipeus aureus,  
219 quem quotannis certo die collegia sacerdotum in Capitolium ferrent, senatu  
220 prosequente nobilibusque pueris ac puellis carmine modulato laudes  
221 virtutum eius canentibus. Decretum autem ut dies, quo cepisset imperium,  
222 Parilia vocaretur, velut argumentum rursus conditae urbis.

## VI. CONSULSHIPS OF CALIGULA

223 [17] Consulatus quattuor gessit, primum ex Kal. Iul. per duos menses,  
224 secundum ex Kal. Ian. per XXX dies, tertium usque in Idus Ian., quartum  
225 usque septimum Idus easdem. Ex omnibus duos novissimos coniunxit.  
226 Tertium autem Luguduni iniit solus, non ut quidam opinantur superbia  
227 neglegentiave, sed quod defunctum sub Kalendarum diem collegam rescisse  
228 absens non potuerat.

## VII. LARGESSE, GAMES AND BUILDINGS

229 2 Congiarium populo bis dedit trecenos sestertios, totiens abundantissimum  
230 epulum senatui equestriique ordini, etiam coniugibus ac liberis utrorumque;  
231 posteriore epulo forensia insuper viris, feminis ac pueris fascias purpurae ac  
232 conchylii distribuit. Et ut laetitiam publicam in perpetuum quoque augeret,  
233 adiecit diem Saturnalibus appellavitque Iuvenalem

234 [18] Munera gladiatoria partim in amphitheatro Tauri partim in Saeptis  
235 aliquot edidit, quibus inseruit catervas Afrorum Campanorumque pugilum  
236 ex utraque regione electissimorum. Neque spectaculis semper ipse praesedit,  
237 sed interdum aut magistratibus aut amicis praesidendi munus iniunxit.

238 2 Scaenicos ludos et assidue et varii generis ac multifariam fecit, quondam et  
239 nocturnos accensis tota urbe luminibus. Sparsit et missilia variarum rerum et  
240 panaria cum obsonio viritim divisit; qua epulatione equiti R. contra se hilarius  
241 avidiusque vescenti partes suas misit, sed et senatori ob eandem causam  
242 codicillos, quibus praetorem eum extra ordinem designabat.

243 3 Edidit et circenses plurimos a mane ad vesperam interiecta modo  
244 Africanarum venatione modo Troiae decursione, et quosdam praecipuos,  
245 minio et chrysocolla constrato circo nec ullis nisi ex senatorio ordine  
246 aurigantibus. Commisit et subitos, cum e Gelotiana apparatum circi  
247 prospicientem pauci ex proximis Maenianis postulassent.

248 [19] Novum praeterea atque inauditum genus spectaculi excogitavit. Nam  
249 Baiarum medium intervallum [ad] Puteolanas moles, trium milium et  
250 sescentorum fere passuum spatium, ponte coniunxit contractis undique  
251 onerariis navibus et ordine dupli ad ancoras conlocatis superiectoque  
252 terreno ac derecto in Appiae viae formam. 2 Per hunc pontem ultro citro  
253 commeavit biduo continent, primo die phalerato equo insignisque quercea  
254 corona et caetra et gladio aureaque chlamyde, postridie quadrigario habitu  
255 curriculoque biiugi famosorum equorum, pree se ferens Dareum puerum ex  
256 Parthorum obsidibus, comitante praetorianorum agmine et in essedis cohorte  
257 amicorum. 3 Scio plerosque existimasse talem a Gaio pontem excogitatum  
258 aemulatione Xerxis, qui non sine admiratione aliquanto angustiorem  
259 Hellespontum contabulaverit; alios, ut Germaniam et Britanniam, quibus  
260 imminebat, alicuius immensi operis fama territaret. Sed avum meum  
261 narrantem puer audiebam, causam operis ab interioribus aulicis proditam,  
262 quod Thrasyllus mathematicus anxio de successore Tiberio et in verum  
263 nepotem proniori affirmasset non magis Gaium imperaturum quam per  
264 Baianum sinum equis discursurum.

265 [20] Edidit et peregre spectacula, in Sicilia Syracusis asticos ludos et in Gallia  
266 Luguduni miscellos; sed hic certamen quoque Graecae Latinaeque facundiae,  
267 quo certamine ferunt victoribus praemia victos contulisse, eorundem et  
268 laudes componere coactos; eos autem, qui maxime displicuissent, scripta sua  
269 spongia linguave delere iussos, nisi ferulis obiurgari aut flumine proximo  
270 mergi maluissent.

271 [21] Opera sub Tiberio semiperfecta, templum Augusti theatrumque Pompei,  
272 absolvit. Incohavit autem aquae ductum regione Tiburti et amphitheatrum  
273 iuxta Saepta, quorum operum a successore eius Claudio alterum peractum,  
274 omissum alterum est. Syracusis conlapsa vetustate moenia deorumque aedes  
275 refectae. Destinaverat et Sami Polycratis regiam restituere, Miletii Didymeum

276 peragere, in iugo Alpium urbem condere, sed ante omnia Isthmum in Achaia  
277 perfodere, miseratque iam ad dimetiendum opus primipilarem.

### VIII. MONSTER AND TYRANT

278 [22] Hactenus quasi de principe, reliqua ut de monstro narranda sunt.  
279 Compluribus cognominibus adsumptis — nam et "pius" et "castrorum filius"  
280 et "pater exercituum" et "optimus maximus Caesar" vocabatur — cum audiret  
281 forte reges, qui officii causa in urbem advenerant, concertantis apud se super  
282 cenam de nobilitate generis, exclamavit:

Εἰς κοίρανος ἔστω, εἰς βασιλεύς.

283 Nec multum afuit quin statim diadema sumeret speciemque principatus in  
284 regni formam converteret. 2 Verum admonitus et principum et regum se  
285 excessisse fastigium, divinam ex eo maiestatem asserere sibi coepit; datoque  
286 negotio, ut simulacra numinum religione et arte praecclara, inter quae Olympii  
287 Iovis, apportarentur e Graecia, quibus capite dempto suum imponeret,  
288 partem Palatii ad forum usque promovit, atque aede Castoris et Pollucis in  
289 vestibulum transfigurata, consistens saepe inter fratres deos, medium  
290 adorandum se adeuntibus exhibebat; et quidam eum Latiarem Iovem  
291 consalutarunt. 3 Templum etiam numini suo proprium et sacerdotes et  
292 excogitatissimas hostias instituit. In templo simulacrum stabat aureum  
293 iconicum amiciebaturque cotidie veste, quali ipse uteretur. Magisteria  
294 sacerdotii ditissimus quisque et ambitione et licitatione maxima vicibus  
295 comparabant. Hostiae erant phoenicopteri, pavones, tetaones, numidicae,  
296 meleagrides, phasianae, quae generatim per singulos dies immolarentur. 3 Et  
297 noctibus quidem plenam fulgentemque lunam invitabat assidue in amplexus  
298 atque concubitum, interdiu vero cum Capitolino Iove secreto fabulabatur,  
300 modo insusurrans ac praebens in vicem aurem, modo clarus nec sine iurgiis.  
301 Nam vox comminantis audita est:

"Η μ' ἀνάειρ' ή ἐγώ σέ,

303 donec exoratus, ut referebat, et in contubernium ultro invitatus super  
304 templum Divi Augusti ponte transmisso Palatum Capitoliumque coniunxit.  
305 Mox, quo propior esset, in area Capitolina novae domus fundamenta iecit.

#### IX. CALIGULA AND HIS FAMILY

306 [23] Agrippae se nepotem neque credi neque dici ob ignobilitatem eius  
307 volebat suscensebatque, si qui vel oratione vel carmine imaginibus eum  
308 Caesarum insererent. Praedicabat autem matrem suam ex incesto, quod  
309 Augustus cum Iulia filia admisisset, procreatam; ac non contentus hac  
310 Augusti insectatione Actiacas Siculasque victorias, ut funestas p. R. et  
311 calamitosas, vetuit sollemnibus feriis celebrari.

312 2 Liviam Augustam proaviam "Vlixem stolatum" identidem appellans, etiam  
313 ignobilitatis quadam ad senatum epistula arguere ausus est quasi materno  
314 avo decurione Fundano ortam, cum publicis monumentis certum sit,  
315 Aufidium Lurconem Romae honoribus functum. Aviae Antoniae secretum  
316 petenti denegavit, nisi ut interveniret Macro praefectus, ac per istius modi  
317 indignitates et taedia causa exstitit mortis, dato tamen, ut quidam putant, et  
318 veneno; nec defunctae ullum honorem habuit prospexitque e triclinio  
319 ardenter rogum.

320 3 Fratrem Tiberium inopinantem repente immisso tribuno militum interemit,  
321 Silanum item sacerum ad necem secandasque novacula fauces compulit,  
322 causatus in utroque, quod hic ingressum se turbatius mare non esset secutus  
323 ac spe occupandi urbem, si quid sibi per tempestates accideret, remansisset,  
324 ille antidotum oboluisset, quasi ad praecavenda venena sua sumptum, cum et  
325 Silanus impatientiam nauseae vitasset et molestiam navigandi, et Tiberius  
326 propter assiduam et ingravescentem tussim medicamento usus esset. Nam  
327 Claudium patrum non nisi in ludibrium reservavit.

328 [24] Cum omnibus sororibus suis consuetudinem stupri fecit plenoque  
329 convivio singulas infra se vicissim conlocabat uxore supra cubante. Ex iis  
330 Drusillam vitiasse virginem praetextatus adhuc creditur atque etiam in

331 concubitu eius quondam deprehensus ab Antonia avia, apud quam simul  
332 educabantur; mox Lucio Cassio Longino consulari conlocatam abduxit et in  
333 modum iustae uxoris propalam habuit; heredem quoque bonorum atque  
334 imperii aeger instituit. 2 Eadem defuncta iustitium indixit, in quo risisse  
335 lavisse cenasse cum parentibus aut coniuge liberisve capital fuit. Ac maeroris  
336 impatiens, cum repente noctu profugisset ab urbe transcucurrissetque  
337 Campaniam, Syracusas petit, rursusque inde propere rediit barba capilloque  
338 promisso; nec umquam postea quantiscumque de rebus, ne pro contione  
339 quidem populi aut apud milites, nisi per numen Drusillae deieravit.

340 3 Reliquas sorores nec cupiditate tanta nec dignatione dilexit, ut quas saepe  
341 exoletis suis prostraverit; quo facilius eas in causa Aemili Lepidi condemnavit  
342 quasi adulteras et insidiarum adversus se consrias ei. Nec solum chirographa  
343 omnium requisita fraude ac stupro divulgavit, sed et tres gladios in necem  
344 suam praeparatos Marti Ultori addito elogio consecravit.

345 [25] Matrimonia contraxerit turpius an dimiserit an tenuerit, non est facile  
346 discernere. Liviam Orestillam C. Pisoni nubentem, cum ad officium et ipse  
347 venisset, ad se deduci imperavit intraque paucos dies repudiatam biennio  
348 post relegavit, quod repetisse usum prioris mariti tempore medio videbatur.  
349 Alii tradunt adhibitum ceneae nuptiali mandasse ad Pisonem contra  
350 accumbentem: "Noli uxorem meam premere," statimque e convivio abduxisse  
351 secum ac proximo die edixisse: matrimonium sibi repertum exemplo Romuli  
352 et Augusti.

353 2 Lolliam Paulinam, C. Memmio consulari exercitus regenti nuptam, facta  
354 mentione aviae eius ut quondam pulcherrimae, subito ex provincia evocavit  
355 ac perductam a marito coniunxit sibi breve missam fecit interdicto  
356 cuiusquam in perpetuum coitu.

357 3 Caesoniam neque facie insigni neque aetate integra matremque iam ex alio  
358 viro trium filiarum, sed luxuriae ac lasciviae perditae, et ardentius et  
359 constantius amavit, ut saepe chlamyde peltaque et galea ornatam ac iuxta

360 adequitantem militibus ostenderit, amicis vero etiam nudam. Uxorio nomine  
361 [non prius] dignatus est quam enixam, uno atque eodem die professus et  
362 maritum se eius et patrem infantis ex ea natae. 3 Infantem autem, Iuliam  
363 Drusillam appellatam, per omnium dearum tempa circumferens Minervae  
364 gremio imposuit alendamque et instituendam commendavit. Nec ullo  
365 firmiore indicio sui seminis esse credebat quam feritatis, quae illi quoque  
366 tanta iam tunc erat, ut infestis digitis ora et oculos simul ludentium infantium  
367 incesseret.

368 [26] Leve ac frigidum sit his addere, quo propinquos amicosque pacto  
369 tractaverit, Ptolemaeum regis Iubae filium, consobrinum suum — erat enim et  
370 is M. Antoni ex Selene filia nepos — et in primis ipsum Macronem, ipsam  
371 Enniam, adiutores imperii; quibus omnibus pro necessitudinis iure proque  
372 meritorum gratia cruenta mors persoluta est.

#### X. TREATMENT OF THE SENATE, THE KNIGHTS, AND THE PEOPLE.

373 2 Nihilo reverentior leniorve erga senatum, quosdam summis honoribus  
374 functos ad essendum sibi currere togatos per aliquot passuum milia et cenanti  
375 modo ad pluteum modo ad pedes stare succinctos linteo passus est; alios cum  
376 clam interemisset, citare nihilo minus ut vivos perseveravit, paucos post dies  
377 voluntaria morte perisse mentitus. 3 Consulibus oblitis de natali suo edicere  
378 abrogavit magistratum fuitque per triduum sine summa potestate res p.  
379 Quaestorem suum in coniuratione nominatum flagellavit veste detracta  
380 subiectaque militum pedibus, quo firme verberaturi insisterent.

381 4 Simili superbia violentiaque ceteros tractavit ordines. Inquietatus fremitu  
382 gratuita in circo loca de media nocte occupantium, omnis fustibus abegit; elisi  
383 per eum tumultum viginti amplius equites R., totidem matronae, super  
384 innumeram turbam ceteram. Scaenicis ludis, inter plebem et equitem causam  
385 discordiarum ferens, decimas maturius dabat, ut equestria ab infimo quoque  
386 occuparentur. 5 Gladiatorio munere reductis interdum flagrantissimo sole  
387 velis emitti quemquam vetabat, remotoque ordinario apparatu tabidas feras,

388 vilissimos senioque confectos gladiatores, proque paegniariis patres  
389 familiarum notos in bonam partem sed insignis debilitate aliqua corporis  
390 subiciebat. Ac nonnumquam horreis paeclusis populo famem indixit.

## XI. CALIGULA'S SAEVITIA AND ATROCITAS

391 [27] Saevitiam ingenii per haec maxime ostendit. Cum ad saginam ferarum  
392 muneri praeparatarum carius pecudes compararentur, ex noxiis laniandos  
393 adnotavit, et custodiarum seriem recognoscens, nullius inspecto elogio, stans  
394 tantum modo intra porticum medium, "a calvo ad calvum" duci imperavit.

395 2 Votum exegit ab eo, qui pro salute sua gladiatoriam operam promiserat,  
396 spectavitque ferro dimicantem nec dimisit nisi victorem et post multas preces.  
397 Alterum, qui se peritum ea de causa voverat, cunctantem pueris tradidit,  
398 verbenatum infulatumque votum reposcentes per vicos agerent, quoad  
399 praecipitaretur ex aggere.

400 3 Multos honesti ordinis deformatos prius stigmatum notis ad metalla et  
401 munitiones viarum aut ad bestias condemnavit aut bestiarum more  
402 quadripedes cavea coercuit aut medios serra dissecuit, nec omnes gravibus ex  
403 causis, verum male de munere suo opinatos, vel quod numquam per genium  
404 suum deierassent.

405 4 Parentes suppicio filiorum interesse cogebat; quorum uni valitudinem  
406 excusanti lecticam misit, alium a spectaculo poenae epulis statim adhibuit  
407 atque omni comitate ad hilaritatem et iocos provocavit. Curatorem munerum  
408 ac venationum per continuos dies in conspectu suo catenis verberatum non  
409 prius occidit quam offensus putrefacti cerebri odore. Atellanae poetam ob  
410 ambigui ioci versiculum media amphitheatri harena igni cremavit. Equitem R.  
411 obiectum feris, cum se innocentem proclamasset, reduxit abscisaque lingua  
412 rursus induxit.

413 [28] Revocatum quendam a vetere exilio sciscitatus, quidnam ibi facere  
414 consuessedet, respondente eo per adulationem: "deos semper oravi ut, quod

415 evenit, periret Tiberius et tu imperares," opinans sibi quoque exules suos  
416 mortem imprecari, misit circum insulas, qui universos contrucidarent. Cum  
417 discerpi senatorem concupisset, subornavit qui ingredientem curiam repente  
418 hostem publicum appellantes invaderent, graphisque confossum lacerandum  
419 ceteris traderent; nec ante satiatus est quam membra et artus et viscera  
420 hominis tracta per vicos atque ante se congesta vidisset.

421 [29] Immanissima facta augebat atrocitate verborum. Nihil magis in natura  
422 sua laudare se ac probare dicebat quam, ut ipsius verbo utar, ἀδιατρεψίαν, hoc  
423 est inverecundiam. Monenti Antoniae aviae tamquam parum esset non  
424 oboedire: "memento," ait, "omnia mihi et in omnis licere." Trucidaturus  
425 fratrem, quem metu venenorum praemuniri medicamentis suspicabatur:  
426 "antidotum," inquit, "adversus Caesarem?" 2 Relegatis sororibus non solum  
427 insulas habere se, sed etiam gladios minabatur. Praetorium virum ex secessu  
428 Anticyrae, quam valitudinis causa petierat, propagari sibi commeatum  
429 saepius desiderantem cum mandasset interimi, adiecit necessariam esse  
430 sanguinis missionem, cui tam diu non prodesset elleborum. Decimo quoque  
431 die numerum puniendorum ex custodia subscribens rationem se purgare  
432 dicebat. Gallis Graecisque aliquot uno tempore condemnatis gloriabatur  
433 Gallograeciam se subegisse.

434 [30] Non temere in quemquam nisi crebris et minutis ictibus animadverti  
435 passus est, perpetuo notoque iam praecepto: "ita feri ut se mori sentiat."  
436 Punito per errorem nominis alio quam quem destinaverat, ipsum quoque  
437 paria meruisse dixit. Tragicum illud subinde iactabat:

438                   Oderint, dum metuant.

439 2 Saepe in cunctos pariter senatores ut Seiani clientis, ut matris ac fratum  
440 suorum delatores, invictus est prolatis libellis, quos crematos simulaverat,  
441 defensaque Tiberi saevitia quasi necessaria, cum tot criminibus credendum  
442 esset. Equestrem ordinem ut scaenae harenaeque devotum assidue proscidit.  
443 Infensus turbae faventi adversus studium suum exclamavit: "utinam p. R.

444   unam cervicem haberet!" Cumque Tetrinius latro postularetur, et qui  
445   postularent, Tetrinios esse ait. 3 Retiari tunicati quinque numero gregatim  
446   dimicantes sine certamine ullo totidem secutoribus succubuerant; cum occidi  
447   iuberentur, unus resumpta fuscina omnes victores interemit: hanc ut  
448   crudelissimam caedem et deflevit edicto et eos, qui spectare sustinuissent,  
449   execratus est.

450   [31] Queri etiam palam de condicione temporum suorum solebat, quod nullis  
451   calamitatibus publicis insignirentur; Augusti principatum clade Variana,  
452   Tiberi ruina spectaculorum apud Fidenas memorabilem factum, suo  
453   oblivionem imminere prosperitate rerum; atque identidem exercituum  
454   caedes, famem, pestilentiam, incendia, hiatus aliquem terrae optabat.

455   [32] Animum quoque remittenti ludoque et epulis dedito eadem factorum  
456   dictorumque saevitia aderat. Saepe in conspectu prandentis vel comisantis  
457   seriae quaestiones per tormenta habebantur, miles decollandi artifex  
458   quibuscumque e custodia capita amputabat.

459   Puteolis dedicatione pontis, quem excogitatum ab eo significavimus, cum  
460   multos e litore invitasset ad se, repente omnis praecipitavit, quosdam  
461   gubernacula apprehendentes contis remisque detrusit in mare.

462   2 Romae publico epulo servum ob detractam lectis argenteam laminam  
463   carnifici confestim tradidit, ut manibus abscisis atque ante pectus e collo  
464   pendentibus, praecedente titulo qui causam poenae indicaret, per coetus  
465   epulantium circumduceretur.

466   Murmillonem e ludo rudibus secum battuentem et sponte prostratum  
467   confudit ferrea sica ac more victorum cum palma discucurrit.

468   3 Admota altaribus victima succinctus poparum habitu elato alte malleo  
469   cultrarium mactavit.

470 Lautiore convivio effusus subito in cachinnos consulibus, qui iuxta cubabant,  
471 quidnam rideret blande quaerentibus: "quid," inquit, "nisi uno meo nutu  
472 iugulari utrumque vestrum statim posse?"

473 [33] Inter varios iocos, cum assistens simulacro Iovis Apellen tragoedum  
474 consuluisse uter illi maior videretur, cunctantem flagellis discidit conlaudans  
475 subinde vocem deprecantis quasi etiam in gemitu praedulcem.

476 Quotiens uxoris vel amiculae collum exoscularetur, addebat: "tam bona cervix  
477 simul ac iussero demetur." Quin et subinde iactabat exquisitum se vel  
478 fidiculis de Caesonia sua, cur eam tanto opere diligeret.

479 [34] Nec minore livore ac malignitate quam superbia saevitiaque paene  
480 adversus omnis aevi hominum genus grassatus est. Statuas virorum  
481 inlustrium ab Augusto ex Capitolina area propter angustias in campum  
482 Martium conlatas ita subvertit atque disiecit ut restitui salvis titulis non  
483 potuerint, vetuitque posthac viventium cuiquam usquam statuam aut  
484 imaginem nisi consulto et auctore se ponи.

485 2 Cogitavit etiam de Homeri carminibus abolendis, cur enim sibi non licere  
486 dicens, quod Platoni licuisset, qui eum e civitate quam constituebat eiecerit?  
487 Sed et Vergili ac Titi Livi scripta et imagines paulum afuit quin ex omnibus  
488 bibliothecis amoveret, quorum alterum ut nullius ingenii minimaque  
489 doctrinae, alterum ut verbosum in historia neglegentemque carpebat.

490 De iuris quoque consultis, quasi scientiae eorum omnem usum aboliturus,  
491 saepe iactavit se mehercule effecturum ne quid respondere possint praeter  
492 eum.

493 [35] Vetera familiarum insignia nobilissimo cuique ademit, Torquato  
494 torquem, Cincinnato crinem, Cn. Pompeio stirpis antiquae Magni cognomen.

495 Ptolemaeum, de quo rettuli, et arcessitum e regno et exceptum honorifice, non  
496 alia de causa repente percussit, quam quod edente se munus ingressum

497 spectacula convertisse hominum oculos fulgore purpureae abollae  
498 animadvertisit.

499 2 Pulchros et comatos, quotiens sibi occurrerent, occipitio raso deturpabat.

500 Erat Aesius Proculus patre primipilari, ob egregiam corporis amplitudinem et  
501 speciem Colosseros dictus; hunc spectaculis detractum repente et in harenam  
502 deductum Thraeci et mox hoplomacho comparavit bisque victorem constringi  
503 sine mora iussit et pannis obsitum vicatim circumduci ac mulieribus ostendi,  
504 deinde iugulari.

505 3 Nullus denique tam abiectae condicionis tamque extremae sortis fuit, cuius  
506 non commodis obtrectaret. Nemorensi regi, quod multos iam annos poteretur  
507 sacerdotio, validiorem adversarium subornavit.

508 Cum quodam die muneric essedario Porio post prosperam pugnam servum  
509 suum manumittenti studiosius plausum esset, ita proripuit se spectaculis, ut  
510 calcata lacinia togae praeceps per gradus iret, indignabundus et clamitans  
511 dominum gentium populum ex re levissima plus honoris gladiatori  
512 tribuentem quam consecratis principibus aut praesenti sibi.

## XII. LASCIVIOUSNESS AND EXTRAVAGANCE

513 [36] Pudicitiae neque suae neque alienae pepercit. M. Lepidum, Mnesterem  
514 pantomimum, quosdam obsides dilexisse fertur commercio mutui stupri.  
515 Valerius Catullus, consulari familia iuvenis, stupratum a se ac latera sibi  
516 contubernio eius defessa etiam vociferatus est.

517 Super sororum incesta et notissimum prostitutae Pyrallidis amorem non  
518 temere ulla inlustriore femina abstinuit. 2 Quas plerumque cum maritis ad  
519 cenam vocatas praeterque pedes suos transeuntis diligenter ac lente  
520 mercantium more considerabat, etiam faciem manu adlevans, si quae pudore  
521 submitterent; quotiens deinde libuisset egressus triclinio, cum maxime  
522 placitam sevocasset, paulo post recentibus adhuc lasciviae notis reversus vel  
523 laudabat palam vel vituperabat, singula enumerans bona malave corporis

524 atque concubitus. Quibusdam absentium maritorum nomine repudium ipse  
525 misit iussitque in acta ita referri.

526 [37] Nepotatus sumptibus omnium prodigorum ingenia superavit,  
527 commentus novum balnearum usum, portentosissima genera ciborum atque  
528 cenarum, ut calidis frigidisque unguentis lavaretur, pretiosissima margarita  
529 aceto liquefacta sorberet, convivis ex auro panes et obsonia apponere, aut  
530 frugi hominem esse oportere dictitans aut Caesarem. Quin et nummos non  
531 mediocris summae e fastigio basilicae Iuliae per aliquot dies sparsit in  
532 plebem.

533 2 Fabricavit et deceris Liburnicas gemmatis puppibus, versicoloribus velis,  
534 magna thermarum et porticum et tricliniorum laxitate magnaque etiam  
535 vitium et pomiferarum arborum varietate; quibus discumbens de die inter  
536 choros ac symphonias litora Campaniae peragraret. In exstinctionibus  
537 praetriorum atque villarum omni ratione posthabita nihil tam efficere  
538 concupiscebatur quam quod posse effici negaretur. 3 Et iactae itaque moles  
539 infesto ac profundo mari et excisae rupes durissimi silicis et campi montibus  
540 aggere aequati et complanata fossuris montium iuga, incredibili quidem  
541 celeritate, cum morae culpa capite lueretur.

542 Ac ne singula enumerem, immensas opes totumque illud Ti. Caesaris vicies ac  
543 septies milies sestertium non toto vertente anno absumpsit.

### XIII. RAPINAE

544 [38] Exhaustus igitur atque egens ad rapinas convertit animum vario et  
545 exquisitissimo calumniarum et auctionum et vectigalium genere. Negabat  
546 iure civitatem Romanam usurpare eos, quorum maiores sibi posterisque eam  
547 impetrassent, nisi si filii essent, neque enim intellegi debere "posteros" ultra  
548 hunc gradum; prolataque Divorum Iuli et Augusti diplomata ut vetera et  
549 obsoleta deflabat. 2 Arguebat et perperam editos census, quibus postea  
550 quacumque de causa quicquam incrementi accessisset.

551 Testamenta primipilarium, qui ab initio Tiberi principatus neque illum neque  
552 se heredem reliquissent, ut ingrata rescidit; item ceterorum ut irrita et vana,  
553 quoscumque quis diceret herede Caesare mori destinasse. Quo metu injecto  
554 cum iam et ab ignotis inter familiares et a parentibus inter liberos palam heres  
555 nuncuparetur, derisores vocabat, quod post nuncupationem vivere  
556 perseverarent, et multis venenatas matteas misit. 3 Cognoscebat autem de  
557 talibus causis, taxato prius modo summae ad quem conficiendum consideret,  
558 confecto demum excitabatur. Ac ne paululum quidem morae patiens super  
559 quadraginta reos quondam ex diversis criminibus una sententia condemnavit  
560 gloriatusque est expergefacta e somno Caesonia quantum egisset, dum ea  
561 meridiaret.

562 4 Auctione proposita reliquias omnium spectacularorum subiecit ac venditavit,  
563 exquirens per se pretia et usque eo extendens, ut quidam immenso coacti  
564 quaedam emere ac bonis exuti venas sibi inciderent. Nota res est, Aponio  
565 Saturnino inter subsellia dormitante, monitum a Gaio praeconem ne  
566 praetorium virum crebro capitis motu nutantem sibi praeteriret, nec licendi  
567 finem factum, quoad tredecim gladiatores sestertium nonagies ignorantis  
568 addicerentur.

569 [39] In Gallia quoque, cum damnatarum sororum ornamenta et supellectilem  
570 et servos atque etiam libertos immensis pretiis vendidisset, invitatus lucro,  
571 quidquid instrumenti veteris aulae erat ab urbe repetiit, comprensis ad  
572 deportandum meritoriis quoque vehiculis et pistrinensibus iumentis, adeo ut  
573 et panis Romae saepe deficeret et litigorum plerique, quod occurrere  
574 absentes ad vadimonium non possent, causa caderent. 2 Cui instrumento  
575 distrahendo nihil non fraudis ac lenocinii adhibuit, modo avaritiae singulos  
576 increpans et quod non puderet eos locupletiores esse quam se, modo  
577 paenitentiam simulans quod principalium rerum privatis copiam faceret.  
578 Compererat provinciale locupletem ducenta sestertia numerasse  
579 vocatoribus, ut per fallaciam convivio interponeretur, nec tulerat moleste tam

580 magno aestimari honorem cenae suaे; huic postero die sedenti in auctione  
581 misit, qui nescio quid frivoli ducentis milibus traderet diceretque cenaturum  
582 apud Caesarem vocatu ipsius.

583 [40] Vectigalia nova atque inaudita primum per publicanos, deinde, quia  
584 lucrum exuberabat, per centuriones tribunosque praetorianos exercuit, nullo  
585 rerum aut hominum genere omissو, cui non tributi aliquid imponeret. Pro  
586 edilibus, quae tota urbe venirent, certum statumque exigebatur; pro litibus ac  
587 iudiciis ubicumque conceptis quadragesima summae, de qua litigaretur, nec  
588 sine poena, si quis composuisse vel donasse negotium convinceret; ex  
589 gerulorum diurnis quaestibus pars octava; ex capturis prostitutarum  
590 quantum quaeque uno concubitu mereret; additumque ad caput legis, ut  
591 tenerentur publico et quae meretricium quive lenocinium fecissent, nec non et  
592 matrimonia obnoxia essent.

593 [41] Eius modi vectigalibus indictis neque propositis, cum per ignorantiam  
594 scripturae multa commissa fierent, tandem flagitante populo proposuit  
595 quidem legem, sed et minutissimis litteris et angustissimo loco, uti ne cui  
596 describere liceret.

597 Ac ne quod non manubiarum genus experiretur, lupanar in Palatio constituit,  
598 districtisque et instructis pro loci dignitate compluribus cellis, in quibus  
599 matronae ingenuique starent, misit circum fora et basilicas nomenculatores ad  
600 invitandos ad libidinem iuvenes senesque; praebita advenientibus pecunia  
601 faenebris appositique qui nomina palam subnotarent, quasi adiuvantium  
602 Caesaris redditus.

603 2 Ac ne ex lusu quidem aleae compendium spernens plus mendacio atque  
604 etiam periurio lucrabatur. Et quondam proximo conlusori demandata vice sua  
605 progressus in atrium domus, cum praetereuntis duos equites R. locupletis  
606 sine mora corripi confiscarique iussisset, exultans rediit gloriansque  
607 numquam se prosperiore alea usum.

608 [42] Filia vero nata paupertatem nec iam imperatoria modo sed et patria  
609 conquerens onera conlationes in alimonium ac dotem puellae recepit. Edixit et  
610 strenas ineunte anno se recepturum stetitque in vestibulo aedium Kal. Ian. ad  
611 captandas stipes, quas plenis ante eum manibus ac sinu omnis generis turba  
612 fundebat. Novissime contrectandae pecuniae cupidine incensus, saepe super  
613 immensos aureorum acervos patentissimo diffusos loco et nudis pedibus  
614 spatiatus et toto corpore aliquamdiu volutatus est.

#### XIV. CALIGULA ON CAMPAIGN

615 [43] Militiam resque bellicas semel attigit neque ex destinato, sed cum ad  
616 visendum nemus flumenque Clitumni Mevaniam processisset, admonitus de  
617 supplendo numero Batavorum, quos circa se habebat, expeditionis  
618 Germanicae impetum cepit; neque distulit, sed legionibus et auxiliis undique  
619 excitis, dilectibus ubique acerbissime actis, contracto et omnis generis  
620 commeatu quanto numquam antea, iter ingressus est confecitque modo tam  
621 festinanter et rapide, ut praetorianae cohortes contra morem signa iumentis  
622 imponere et ita subsequi cogerentur, interdum adeo segniter delicateque, ut  
623 octaphoro veheretur atque a propinquarum urbium plebe verri sibi vias et  
624 conspergi propter pulverem exigeret.

625 [44] Postquam castra attigit, ut se acrem ac severum ducem ostenderet,  
626 legatos, qui auxilia serius ex diversis locis adduxerant, cum ignominia dimisit;  
627 at in exercitu recensendo plerisque centurionum maturis iam et nonnullis ante  
628 paucissimos quam consummaturi essent dies, primos pilos ademit, causatus  
629 senium cuiusque et imbecillitatem; ceterorum increpita cupiditate commoda  
630 emeritae militiae ad tsescentorum milium summam recidit.

631 2 Nihil autem amplius quam Adminio Cynobellini Britannorum regis filio, qui  
632 pulsus a patre cum exigua manu transfugerat, in ditionem recepto, quasi  
633 universa tradita insula, magnificas Romam litteras misit, monitis  
634 speculatoribus, ut vehiculo ad forum usque et curiam pertenderent nec nisi in  
635 aede Martis ac frequente senatu consulibus traderent.

636 [45] Mox deficiente belli materia paucos de custodia Germanos traici  
637 oculique trans Rhenum iussit ac sibi post prandium quam tumultuosissime  
638 adesse hostem nuntiari. Quo facto proripuit se cum amicis et parte equitum  
639 praetorianorum in proximam silvam, truncatisque arboribus et in modum  
640 tropaeorum adornatis ad lumina reversus, eorum quidem qui secuti non  
641 essent timiditatem et ignaviam corripuit, comites autem et participes victoriae  
642 novo genere ac nomine coronarum donavit, quas distinctas solis ac lunae  
643 siderumque specie exploratorias appellavit.

644 2 Rursus obsides quosdam abductos e litterario ludo clamque praemissos,  
645 deserto repente convivio, cum equitatu insecurus veluti profugos ac  
646 reprehensos in catenis reduxit; in hoc quoque mimo praeter modum  
647 intemperans. Repetita cena renuntiantis coactum agmen sic ut erant loricatos  
648 ad discumbendum adhortatus est. Monuit etiam notissimo Vergili versu  
649 "durarent secundisque se rebus servarent."

650 3 Atque inter haec absentem senatum populumque gravissimo obiurgavit  
651 edicto, quod Caesare proeliante et tantis discriminibus obiecto tempestiva  
652 convivia, circum et theatra et amoenos secessus celebrarent.

653 [46] Postremo quasi perpetratus bellum, derecta acie in litore Oceani ac  
654 ballistis machinisque dispositis, nemine gnaro aut opinante quidnam  
655 coepturnus esset, repente ut conchas legerent galeasque et sinus replerent  
656 imperavit, "spolia Oceani" vocans "Capitolio Palatioque debita," et in indicium  
657 victoriae altissimam turrem excitavit, ex qua ut Pharo noctibus ad regendos  
658 navium cursus ignes emicarent; pronuntiatoque militi donativo centenis  
659 viritim denariis, quasi omne exemplum liberalitatis supergressus: "abite,"  
660 inquit, "laeti, abite locupletes."

661 [47] Conversus hinc ad curam triumphi praeter captivos ac transfugas  
662 barbaros Galliarum quoque procerissimum quemque et, ut ipse dicebat,  
663 ἀξιοθρύμβευτον, ac nonnullos ex principibus legit ac seposuit ad pompam  
664 coegitque non tantum rutilare et summittere comam, sed et sermonem

665 Germanicum addiscere et nomina barbarica ferre. Praecepit etiam triremis,  
666 quibus introierat Oceanum, magna ex parte itinere terrestri Romam devehi.  
667 Scripsit et procuratoribus, triumphum apparent quam minima summa, sed  
668 quantus numquam aliis fuisse, quando in omnium hominum bona ius  
669 haberent.

670 [48] Prius quam provincia decederet, consilium iniit nefanda atrocitatis  
671 legiones, quae post excessum Augusti seditionem olim moverant,  
672 contrucidandi, quod et patrem suum Germanicum ducem et se infantem tunc  
673 obsedissent, vixque a tam praecipi cogitatione revocatus, inhiberi nullo  
674 modo potuit quin decimare velle perseveraret. Vocatas itaque ad contionem  
675 inermes, atque etiam gladiis depositis, equitatu armato circumdedit. 2 Sed  
676 cum videret suspecta re plerosque dilabi ad resumenda si qua vis fieret arma,  
677 profugit contionem confestimque urbem petit, deflexa omni acerbitate in  
678 senatum, cui ad avertendos tantorum dedecorum rumores palam minabatur,  
679 querens inter cetera fraudatum se iusto triumpho, cum ipse paulo ante, ne  
680 quid de honoribus suis ageretur, etiam sub mortis poena denuntiasset.

681 [49] Aditus ergo in itinere a legatis amplissimi ordinis ut maturaret orantibus,  
682 quam maxima voce: "veniam," inquit, "veniam, et hic mecum," capulum gladii  
683 crebro verberans, quo cinctus erat. Edixit et reverti se, sed iis tantum qui  
684 optarent, equestri ordini et populo; nam se neque civem neque principem  
685 senatui amplius fore. 2 Vetuit etiam quemquam senatorum sibi occurrere.  
686 Atque omisso vel dilato triumpho ovans urbem natali suo ingressus est;  
687 intraque quartum mensem periit, ingentia facinora ausus et aliquanto maiora  
688 moliens, siquidem proposuerat Antium, deinde Alexandream commigrare  
689 interempto prius utriusque ordinis electissimo quoque. 3 Quod ne cui dubium  
690 videatur, in secretis eius reperti sunt duo libelli diverso titulo, alteri "gladius,"  
691 alteri "pugio" index erat; ambo nomina et notas continebant morti  
692 destinatorum. Inventa et arca ingens variorum venenorum plena, quibus mox

693 a Claudio demersis infecta maria traduntur non sine piscium exitio, quos  
694 enectos aestus in proxima litora eiecit.

## XV. APPEARANCE AND HEALTH

695 [50] Statura fuit eminenti, colore expallido, corpore enormi, gracilitate  
696 maxima cervicis et crurum, oculis et temporibus concavis, fronte lata et torva,  
697 capillo raro at circa verticem nullo, hirsutus cetera. Quare transeunte eo  
698 prospicere ex superiore parte aut omnino quacumque de causa capram  
699 nominare, criminosum et exitiale habebatur. Vultum vero natura horridum ac  
700 taetrum etiam ex industria efferabat componens ad speculum in omnem  
701 terrorem ac formidinem.

702 2 Valitudo ei neque corporis neque animi constituit. Puer comitali morbo  
703 vexatus, in adulescentia ita patiens laborum erat, ut tamen nonnumquam  
704 subita defectione ingredi, stare, colligere semet ac sufferre vix posset. Mentis  
705 valitudinem et ipse senserat ac subinde de secessu deque purgando cerebro  
706 cogitavit. Creditur potionatus a Caesonia uxore amatorio quidem  
707 medicamento, sed quod in furorem verterit. 3 Incitabatur insomnio maxime;  
708 neque enim plus quam tribus nocturnis horis quiescebat ac ne iis quidem  
709 placida quiete, sed pavida miris rerum imaginibus, ut qui inter ceteras pelagi  
710 quondam speciem conloquentem secum videre visus sit. Ideoque magna  
711 parte noctis vigiliae cubandique taedio nunc toro residens, nunc per  
712 longissimas porticus vagus invocare identidem atque expectare lucem  
713 consuerat.

714 [51] Non inmerito mentis valitudini attribuerim diversissima in eodem vitia,  
715 summam confidentiam et contra nimium metum. Nam qui deos tanto opere  
716 contemneret, ad minima tonitrua et fulgura conivere, caput obvolvere, at vero  
717 maiore proripere se e strato sub lectumque condere solebat. Peregrinatione  
718 quidem Siciliensi irrigis multum locorum miraculis repente a Messana noctu  
719 profugit Aetnaei verticis fumo ac murmure pavefactus.

720 2 Adversus barbaros quoque minacissimus, cum trans Rhenum inter  
721 angustias densumque agmen iter essedo faceret, dicente quodam non  
722 mediocrem fore consternationem sicunde hostis appareat, equum ilico  
723 concendit ac propere reversus ad pontes, ut eos calonibus et impedimentis  
724 stipatos repperit, impatiens morae per manus ac super capita hominum  
725 translatus est. 3 Mox etiam audita rebellione Germaniae fugam et subsidia  
726 fugae classes apparabat, uno solacio adquiescens transmarinas certe sibi  
727 superfuturas provincias, si victores Alpium iuga, ut Cimbri, vel etiam urbem,  
728 ut Senones quondam, occuparent; unde credo percussoribus eius postea  
729 consilium natum apud tumultuantes milites ementiendi, ipsum sibi manus  
730 intulisse nuntio malae pugnae perterritum.

731 [52] Vestitu calciatuque et cetero habitu neque patrio neque civili, ac ne virili  
732 quidem ac denique humano semper usus est. Saepe depictas gemmatasque  
733 indutus paenulas, manuleatus et armillatus in publicum processit; aliquando  
734 sericatus et cycladatus; ac modo in crepidis vel coturnis, modo in speculatoria  
735 caliga, nonnumquam socco muliebri; plerumque vero aurea barba, fulmen  
736 tenens aut fuscinam aut caduceum deorum insignia, atque etiam Veneris  
737 cultu conspectus est. Triumphalem quidem ornatum etiam ante expeditionem  
738 assidue gestavit, interdum et Magni Alexandri thoracem repetitum e  
739 conditorio eius.

## XVI. INTELLECTUAL PURSUITS

740 [53] Ex disciplinis liberalibus minimum eruditioni, eloquentiae plurimum  
741 attendit, quantumvis facundus et promptus, utique si perorandum in aliquem  
742 esset. Irato et verba et sententiae suppetebant, pronuntiatio quoque et vox, ut  
743 neque eodem loci piae ardore consisteret et exaudiretur a procul stantibus.  
744 2 Peroraturus stricturum se lucubrationis suae telum minabatur, lenius  
745 comptiusque scribendi genus adeo contemnens, ut Senecam tum maxime  
746 placentem "commissiones meras" componere et "harenam esse sine calce"  
747 diceret. Solebat etiam prosperis oratorum actionibus rescribere et magnorum

748 in senatu reorum accusationes defensionesque meditari ac, prout stilus  
749 cesserat, vel onerare sententia sua quemque vel sublevare, equestri quoque  
750 ordine ad audiendum invitato per edicta.

751 [54] Sed et aliorum generum artes studiosissime et diversissimas exercuit.  
752 Thraex et auriga, idem cantor atque saltator, battuebat pugnatoriis armis,  
753 aurigabat exstructo plurifariam circo; canendi ac saltandi voluptate ita  
754 efferebatur, ut ne publicis quidem spectaculis temperaret quo minus et  
755 tragoedo pronuntianti concineret et gestum histrionis quasi laudans vel  
756 corrigens palam effingeret. 2 Nec alia de causa videtur eo die, quo periit,  
757 pervigilium indixisse quam ut initium in scaenam prodeundi licentia  
758 temporis auspicaretur. Saltabat autem nonnumquam etiam noctu; et  
759 quondam tres consulares secunda vigilia in Palatium accitos multaque et  
760 extrema metuentis super pulpitum conlocavit, deinde repente magno  
761 tibiarum et scabellorum crepitu cum palla tunicaque talari prosiluit ac  
762 desaltato cantico abiit. Atque hic tam docilis ad cetera natare nesciit.

763 [55] Quorum vero studio teneretur, omnibus ad insaniam favit. Mnesterem  
764 pantomimum etiam inter spectacula osculabatur, ac si qui saltante eo vel  
765 leviter obstreperet, detrahi iussum manu sua flagellabat.

766 Equiti R. tumultuanti per centurionem denuntiavit, abiret sine mora Ostiam  
767 perferretque ad Ptolemaeum regem in Mauretaniam codicillos suos; quorum  
768 exemplum erat: "ei quem istoc misi, neque boni quicquam neque mali feceris."

769 2 Thraeces quosdam Germanis corporis custodibus praeposuit. Murmillonum  
770 armaturas recidit. Columbo victori, leviter tamen saucio, venenum in plagam  
771 addidit, quod ex eo Columbinum appellavit; sic certe inter alia venena  
772 scriptum ab eo repertum est.

773 Prasinae factioni ita addictus et deditus, ut cenaret in stabulo assidue et  
774 maneret, agitatori Eutycho comisatione quadam in apophoretis vicies  
775 sestertium contulit.

776 3 Incitato equo, cuius causa pridie circenses, ne inquietaretur, viciniae  
777 silentium per milites indicere solebat, praeter equile marmoreum et praesaepe  
778 eburneum praeterque purpurea tegumenta ac monilia e gemmis domum  
779 etiam et familiam et supellectilem dedit, quo lautius nomine eius invitati  
780 acciperentur; consulatum quoque traditur destinasse.

## XVII. ASSASSINATION

781 [56] Ita bacchantem atque grassantem non defuit plerisque animus adoriri.  
782 Sed una atque altera conspiratione detecta, aliis per inopiam occasionis  
783 cunctantibus, duo consilium communicaverunt perfeceruntque, non sine  
784 conscientia potentissimorum libertorum praefectorumque praetori; quod ipsi  
785 quoque etsi falso in quadam coniuratione quasi participes nominati, suspectos  
786 tamen se et invisos sentiebant. Nam et statim seductis magnam fecit invidiam  
787 destricto gladio affirmans sponte se peritum, si et illis morte dignus  
788 videretur, nec cessavit ex eo criminari alterum alteri atque inter se omnis  
789 committere.

790 2 Cum placuisset Palatinis ludis spectaculo egressum meridie adgredi, primas  
791 sibi partes Cassius Chaerea tribunus cohortis praetoriae depoposcit, quem  
792 Gaius seniorem iam et mollem et effeminatum denotare omni probro  
793 consuerat et modo signum petenti "Priapum" aut "Venerem" dare, modo ex  
794 aliqua causa agenti gratias osculandam manum offerre formatam  
795 commotamque in obscaenum modum.

796 [57] Futurae caedis multa prodigia exstiterunt. Olympiae simulacrum Iovis,  
797 quod dissolvi transferrique Romam placuerat, tantum cachinnum repente  
798 edidit, ut machinis labefactis opifices diffugerint; supervenitque ilico quidam  
799 Cassius nomine, iussum se somnio affirmans immolare taurum Iovi.

800 2 Capitolium Capuae Id. Mart. de caelo tactum est, item Romae cella Palatini  
801 atriensis. Nec defuerunt qui coniectarent altero ostento periculum a  
802 custodibus domino portendi, altero caedem rursus insignem, qualis eodem  
803 die facta quondam fuisset.

804 Consulenti quoque de genitura sua Sulla mathematicus certissimam necem  
805 appropinquare affirmavit.

806 3 Monuerunt et Fortunae Antiatinae, ut a Cassio caveret; qua causa ille  
807 Cassium Longinum Asiae tum proconsulem occidendum delegaverat,  
808 inmemor Chaereum Cassium nominari.

809 Pridie quam periret, somniavit consistere se in caelo iuxta solium Iovis  
810 impulsumque ab eo dextri pedis pollice et in terras praecipitatum.

811 Prodigiorum loco habita sunt etiam, quae forte illo ipso die paulo prius  
812 acciderant. 4 Sacrificans respersus est phoenicopteri sanguine; et pantomimus  
813 Mnester tragoediam saltavit, quam olim Neoptolemus tragoedus ludis,  
814 quibus rex Macedonum Philippus occisus est, egerat; et cum in Laureolo  
815 mimo, in quo a[u]ctor proripiens se ruina sanguinem vomit, plures  
816 secundarum certatim experimentum artis darent, cruento scaena abundavit.  
817 Parabatur et in noctem spectaculum, quo argumenta inferorum per Aegyptios  
818 et Aethiopas explicarentur.

819 [58] VIII. Kal. Febr. hora fere septima cunctatus an ad prandium surget  
820 marcente adhuc stomacho pridiani cibi onere, tandem suadentibus amicis  
821 egressus est. Cum in crypta, per quam transeundum erat, pueri nobiles ex  
822 Asia ad edendas in scaena operas evocati praepararentur, ut eos inspiceret  
823 hortareturque restitit, ac nisi princeps gregis algere se diceret, redire ac  
824 repraesentare spectaculum voluit.

825 2 Duplex dehinc fama est: alii tradunt adloquenti pueros a tergo Chaereum  
826 cervicem gladio caesim graviter percussisse praemissa voce: "hoc age!" Dehinc  
827 Cornelium Sabinum, alterum e coniuratis, tribunum ex adverso traiecerat  
828 pectus; alii Sabinum summota per concios centuriones turba signum more  
829 militiae petisse et Gaio "Iovem" dante Chaereum exclamasse: "accipe ratum!"  
830 Respicientique maxillam ictu discidisse. 3 Iacentem contractisque membris  
831 clamitantem se vivere ceteri vulneribus triginta confecerunt; nam signum erat  
832 omnium: "repete!" Quidam etiam per obscaena ferrum adegerunt. Ad

833 primum tumultum lecticari cum asseribus in auxilium accucurrerunt, mox  
834 Germani corporis custodes, ac nonnullos ex percussoribus, quosdam etiam  
835 senatores innoxios interemerunt.

836 [59] Vixit annis viginti novem, imperavit triennio et decem mensibus  
837 diebusque octo. Cadaver eius clam in hortos Lamianos asportatum et  
838 tumultuario rogo semiambustum levi caespite obrutum est, postea per  
839 sorores ab exilio reversas erutum et crematum sepultumque. Satis constat,  
840 prius quam id fieret, hortorum custodes umbris inquietatos; in ea quoque  
841 domo, in qua occubuerit, nullam noctem sine aliquo terrore transactam, donec  
842 ipsa domus incendio consumpta sit.

843 Perit una et uxor Caesonia gladio a centurione confossa et filia parieti inlisa.

844 [60] Condicionem temporum illorum etiam per haec aestimare quivis possit.  
845 Nam neque caede vulgata statim creditum est, fuitque suspicio ab ipso Gaio  
846 famam caedis simulatam et emissam, ut eo pacto hominum erga se mentes  
847 deprehenderet; neque coniurati cuiquam imperium destinaverunt; et senatus  
848 in asserenda libertate adeo consensit, ut consules primo non in curiam, quia  
849 Iulia vocabatur, sed in Capitolium convocarent, quidam vero sententiae loco  
850 abolendam Caesarum memoriam ac diruenda templa censuerint. Observatum  
851 autem notatumque est in primis Caesares omnes, quibus Gai praenomen  
852 fuerit, ferro perisse, iam inde ab eo, qui Cinnanis temporibus sit occisus.